merore depreſſos. Tota enim domus vna
clade contabuit. Puella vexabatur inſania
ceteri torquebantur triſticia. Propterea ergo
ingreſſi pontifices munera a rege
directa preſentauerunt. preces in conſpectu
puelle fuderunt ad dominum. Illa vero tenetur
manibus ſe excuciens. vni eorum gladium
abſtulit. volens epiſcopos interficere. Et cum
id non poſſet efficere. ſpiritus immundus
vni eorum dixit. Si volueritis me ſicut
regi promiſiſti de hoc vaſculo propulſare.
Cur filiam tuam quam norma illa de te
concepit et genuit. non feciſti tecum
venire. Deinde ad alterum. Et tu inquit
cum tribus feminis fornicatorum commiſiſti.
Vestro quidem imperio quod nullo ſanctitatis
merito roborantur. numquam egrediar.
Eſt vero quidam vir magne apud deum
virtutis nomine gallus. qui me de turegonia
vbi diu optata quiete potitus ſum pote
nter eiecit. domos quoque meas audenter
deſtruxit. poſtmodum inueniens me
aput brigantiam commorantem. eadem
virtute exheredītauit. Porro quia dux
iſte eum de eodem expulit loco. in vltio
nem eius in iurie puellam iſtam accepi.
De qua poſſeſſione niſi ipſe aduenerit
nullatenus amouebor. Vnus deinde pon
tificum dedit furenti alapam dicens.
Obmuteſce ſatanas. deſertor veritatis.
falſitatis amator et auctor. Putauit
enim eum de gallinacio dicere gallo. Et dum
ſpiritus nequam pluribus eos verborum iniuriis
affeciſſet. manſerunt ibi tribus tantum
diebus. ac deinde ad ſua reuerſi nuncia
uerunt omnia que geſta fuerant regi

xvii Preſbiter vero cum ſecundum iuſſionem
ducis virum dei fuiſſet euestigio
ſecutus. repperit eum in ſpelunca animum
ſuum lectionis conſolatione paſcentem.
Et accedens ſalutauit humiliter. et
dixit ad eum. Ne timeas ſerue dei adducere
venire. ſub teſtificatione enim iuris iurandi
promiſit ſe nullam tibi irrogaturum iniuriam.
Sed et cum poſueris manum tuam ſuper caput
puelle. ſi ab ea porationes tuas ſpiritus
immundus abſceſſerit. in ſede conſtanciensi
pontificatus te ſublimabit honore. Dum
de huiuſcemodi colloquium rebus haberent.
ſuperueniens iohannes diaconus ſecundum
conſuetudinem. obtulit ei panes azimos
et laguncula vini. oleum et butirum.
et mel in vaſculis cum piſcibus aſſis. Vir
dei cum eum venire cognouiſſet. gracias
egit deo gaudio plenus. Diſcubuerunt que
tres conuiue fidiſſimi. et cum gratiarum actione
dona domini perceperunt. Inter hec vir preſbiter
ducat ait nobiſcum noctem inſtantem. et
craſtina die tecum domino volente proficiſcar.
Cuique huic conſenſum perſuaſioni prebuiſſet.
et ad virum dei diaconus dixit. Mane primo
diluculo huc veniam et adducam mulum
meum ſtratum. ut ſimul ire poſſitis. Ego vero
cultor ero ſpelunce et eam circa diligenti
cuſtodiam. Sanctus gallus reſpondit. Non dixiſti fili
Et ego quidem via qua veneram perexemus
regrediar. ad cellulam meam et viſitabo
fratres. Poſtmodum vero quam citiſſime
potuero ad caſtrum properabo. Preſbiter ergo ad
iuratione valida conſtrinxit eum. ut nequaquam
faceret contraria dictis. Et abſceſſerunt preſbiter.
iohannes quoque accepta benedictione redyt
in domum ſuam. Cumque vir beatus recto itinere
perueniſſet ad cellulam. requieuit ibi nocte
illa cum fratribus. Mane autem ſequenti ſumptis
ſecum duobus fratribus perrexit ad caſtrum. reperit
que inibi cum preſbitero ducis miſſum. qui eos cum
omni feſtinatione ire deposceret. Qui etiam
indicauit puellam continuato iam triduo
ſine alimonia perdurare. At illi nauicula
conſcenſa. totis nisibus ire feſtinantes.
ligno natatili profundi terram ſulcante.
nocte proxima peruenerunt ad ducem.

Cumque deuictis profunde noctis tene xviii
bris. ſol terris cum iocunditate
ſerenum reſtitueret diem. iuſſit eos ducere
venire in cubiculum in quo acceptitia
ſeruabatur. Iacebat autem tunc in ſinu matris
ſue. oculis clauſis. ore hianti. Membra
quoque eius ita erant diſiecta. ut quaſi mortua
videretur. Fetor vero tam grauis oris prorupit
ex adito. ut ſulphureo locus ipſe aſperſus
putaretur. Pater itaque cum domeſticis ſuis
intrauit. ut videret quid vir dei eſſet
acturus. Ille de domini largitate certiſſimus
humiliter ſe proſternens. has preces domino cum
lacrimis fudit. Domine ihesu christe qui pro ſalute
humani generis carnem ſumere. et per
virginem naſci dignatus es. qui ventis et
mari imperaſti. diabolum etiam calliditatis
ſue fraudibus inſiſtentem retro ire iuſſiſti.

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 7r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/it/vad/0070/7r)